DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

RHEUMATISMO ACUTO.

6

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS DE RHEUMATISMO ACUTO;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, S S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

HENRICUS SNOW,

ANGLUS,

COLLEG. REG. CHIRURG. LOND. SOC.

NECNON,

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOC. EXTRAORD.

VIII. Calendas Julias, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

1807.

GEORGIO PINCKARD, M. D.

COLLEG. REG. MED. LOND. SOC.

NOSOCOM. COP. BRITANN. DICAT.

DELEGATUS INSPECTOR,

&c. &c.

QUOD

AMICITIÆ QUAMPLURIMIS MODIS OSTENSÆ

DEBETUR,

HOC LEVE PIGNUS

OFFERT

AUCTOR.

NECNON,

ROBERTO VYNER, ARMIGERO,

ETHORPE,

IN AGRO *WARVICENSI,*

VITAM AGENTI;

HOC TESTIMONIUM

ANIMI,

UTI PAR EST,

MAXIME SIBI DEVINCTI,

SACRUM VOLUIT

HENRICUS SNOW.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

RHEUMATISMO ACUTO.

VETERES medici ubique Rheumatismum cum Podagra, aliisque morbis, confudisse videntur; et has affectiones generali *Morbi articularis* nomine vocant.

BALLONIUS, medicus Parisiensis, ex obscuritate quâ diù involutus fuit, hunc morbum tandem eripuit, rationemque medendi instituit, quam medici scriptores, inter quos eminent RIVERIUS et SYDENHAM, exindè secuti sunt.

Præclaræ hujus Academiæ Cl. Prof. CULLEN, de hâc re scientiam haud parùm emendavit et auxit; in secundo Primæ Classis ordine, *Phlegmasiis*, morbum locavit. Præcipua ejus signa his verbis depinxit: "Morbus ab externa, et plerumque evidente causâ: pyrexia; dolor circa articulos, musculorum tractum sequens, genua et reliquos majores, potiùs quàm pedum vel manuum articulos, infestans, calore externo auctus."—"Variat sede; hinc, in musculis coxendicis, *Ischias rheumaticum*; — in musculis thoracis, *Pleuritis spuria*,—et in musculis lumborum, *Lumbago*."

HISTORIA MORBI.

RHEUMATISMUS acutus eos qui in regionibus frigidis habitant, sæpissimè aggreditur; et illis tempestatibus quandò magnæ subitæque cœli mutationes occurrunt, præsertim accidit.

Hic morbus, tempore verno et autumnali ple-

rumque

rumque viget, sed nulli præ cæteris, anni tempori proprius est. Eos præcipuè vexat qui temperamento sanguineo præditi sunt, et summo juventæ vigore fruuntur. Vir clarus Dr HOME * Pater, praxi suâ in Nosocomio Regio Edinensi edoctus, notavit, fœminas, quæ in Rheumatismum incidunt, quantùm ad numerum spectat, mares plùs quàm 3 ad 1 excedere. Experientia D[ris] HAYGARTH contrarium docet, nam in libro nuperrimè ab illo de hoc morbo edito, sententiam sequentem invenimus: "More males are attacked with the acute Rheumatism than females, in the proportion of 98 of the former to 73 of the latter, or nearly as 4 to 3, probably because men are more exposed to cold and rain than women †." Impuberes et senes rarò, morbo plectuntur; verò

a

* *Clin. Exper. and Obs.*

† HAYGARTH. *Clin. Hist. of Acute Rheumatism,* 1805. p. 20.

a pubertate ad annum vitæ trigesimum quintum, vel etiam quadragesimum, plerumque infestat.

Rheumatismus solitis pyrexiæ signis plerumque incipit: Æger primò languore et lassitudine afficitur; corporis extrema pallescunt et torpent; frigoris sensus, qui secundum spinam dorsi descendit, sæpè percipitur; et tandem cum horrore in totum corpus diffunditur; brevì sequitur stadium calidum, et omnia pyrexiæ regularis signa; sitis scilicet, calor, anxietas, et inquietudo superveniunt; lingua admodum sicca et albida fit; pulsus jam frequens, plenus, ac durus; respiratio difficilis est; modò vertigo, modò dolor capitis, supervenit; facies turgida, et oculorum sensilitas exquisita; febrisque signa noctu ingravescunt. Postquam hæc signa biduum triduumve perstiterunt, dolores acuti, erratici, in variis corporis partibus, præcipuè verò in artuum superiorum ac inferiorum articulis, sentiuntur. Hi dolores nonnunquam unam partem occupant: Sæpiùs autem ab uno

ad

ad alterum articulum, musculorum cursum sequentes, migrant, et calore externo, et musculorum exercitatione, haud levitèr augentur.

Intermissionem nonnunquam morbus facit, et quasi *febris intermittens* tempore interposito æquo gradu redire solet *. Coxendix, genua, humerus et cubitus, malleolus et carpus, sæpiùs, manus tamen pedes atque digiti rariùs, afficiantur.

Artubus aliquandiu dolore affectis, superveniunt tumor ruborque, et pars dolens omnia phlegmonis genuinæ indicia exhibet. Sudor partialis hunc morbum ferè comitatur, qui primo morbi stadio prorumpere solet: idem verò neque universus, neque copiosus; articulorum dolores nec tollit, nec morbum solvit.

Progrediente malo, urinæ color rubicundior est; morbi principio nullum sedimenti deponit;

* Vid. Trotter. Medic. Naut., vol. i. p. 393.

nit; sub ejus finem verò, sedimentum lateritium in vase imo demittitur; nullam verò malum indè crisin habet, nam postquam in urina sedimentum apparuerit, morbus sæpè diu perstat.

Intestina ferè nunquam immunia evadunt, alvus enim insigniter compressa est.

Sanguis è vena hoc morbo laborantium missus, crustam coriaceam albidam plerumque exhibet: quotiès sanguinis fibrina eoùsque contrahitur, ut crassamenti superficies cava, seu pyxidata fiat, diathesin phlogisticam maximam esse judicamus. Pyrexia ad diem decimum quartum, vigesimum, aut etiam quadragesimum, protrahitur; et raro ante diem sextum vel septimum remittit. Sæpè accidit ut signis febrilibus cessantibus, et simul tumore juncturarum et rubore diminutis, dolores tamen varias partes, lumbos præcipuè et coxas, vexare pergant. Æger tussi plerumque fatigatur, quæ omnia signa graviora reddit.

Quamvis

Quamvis inflammatio partis cujusdam adsit, hic morbus rarissimè suppuratione, nunquam forsan morte, gangrænâ, vel scirrho terminatur, sed plerumque resolutione finitur. Humor autem pellucidus et viscidus haud raro in tendinum vaginas, vel telam cellulosam effunditur, ferè semper tamen posteà resorbetur.

Rheumatismus sæpè in arthrodyniam, sive in Rheumatismum chronicum, et præcipuè quando imperitè tractatur, desinere solet: nonnunquam in anchylosin, sed rariùs in paralysin transit.

CAUSÆ REMOTÆ.

HÆ causæ in *PRÆDISPONENTES*, et *OCCASIONALES* vel excitantes, a medicis dividuntur, et clariss. GREGORIUS, in elegantissimo suo libro de Medicina Theoretica, eas sic describit: "Causa *prædisponens* est illa quæ corpus tantùm opportunum reddit; scilicet ut, admotâ

causâ

causâ excitante, in morbum incidat. Causa *occasionalis* vel *excitans*, est ea quæ, in corpore jam proclivi facto, morbum excitat."

Diathesis phlogistica est præcipua corporis conditio, quæ proclivitatem in hunc morbum facit. Hunc statum inducunt desidia, diæta lautior atque nutriens, somnus nimis protractus; evacuationes solitæ suppressæ, quales, sanguinis periodica detractio, exhalatio per cutem, hæmorrhois, setacea, fonticuli, epispastica, menses, unde mulieres sæpiùs quàm viri hoc morbo tentantur. Ea quoque omnia quæ corpus maximè debilitant, ut nimis Veneris, prava consuetudo vivendi in conclavis calidis, &c. ad hunc morbum hominem opportunum reddunt.

CAUSÆ EXCITANTES.

Causa occasionalis præcipua frigus est; variæ tamen sunt res circumstantes quibus actio

ejus

ejus potentior evadit, præsertim subitæ caloris et frigoris vicissitudines; quando humori conjungitur frigus, et corpori æstuanti admovetur, plus frigoris ex *vaporisatione* gignitur, atque effectus multò majores erunt. Qui ex hydrargyri usu febriculam subeant, admoto frigore, in plurimum damni hoc morbo præcipitantur.

Autumno desinente aut vere incipiente, cùm tempestatum mutationes insigniter sunt subitæ et contrariæ, incidit. Cùm autem Jovis mutationes quâvis anni tempestate contingere possunt, anni tempus, quo morbus interdum se ostendit, a variis rebus pendebit. Plerumque tamen has terræ plagas, in quibus cœlum subitas et insignes mutationes subit, frequentiùs infestat.

CAUSA PROXIMA,

Ut definiunt scriptores medici, est "illa quæ præsens morbum facit, sublata tollit, mutata mutat."

mutat." Causæ proximæ omnium ferè morborum in atrâ caligine immerguntur. Hic morbus ortum ducere videtur ex inflammatione quorundam articulorum partium. Quare verò ab aliis inflammationibus ex frigore differt, an ligamenta vel quæ partes afficiantur, et quare, sicut aliæ inflammationes, nec in suppurationem vel gangrænam abeat, non nobis est dicere. Fas est fortè hujusmodi quæstionibus, verbis poëtæ responsum dare,

"Causa latet, vis est notissima."

DIAGNOSIS.

Inter Rheumatismum et alios morbos frequentèr haud facile est dignoscere, et majorem peritiam atque ingenii acumen ullâ ferè aliâ parte medicinæ postulat. "Sine hac scientia nulla stabilis institui potest prognosis vel therapeia,

peia, et medicus adstantibus sæpè ludibrio est *."

Præcipui morbi, quibuscum Rheumatismo acuto est similitudo, sunt Podagra et Siphylis; si ad signa autem singulis horum propria animum intendimus, discrimina vera quæ inter eos et Rheumatismum intercedunt, sine magna difficultate reperientur. *Podagra*, quippè Rheumatismum maximè refert, præcipuam nostram attentionem jure vindicat.

Rheumatismus a causa externa et plerumque evidente, nempè frigore et humiditate oritur. Affectiones quædam contrâ partium internarum, præcipuè ventriculi, velut concoctio prava, flatus, ructus acidi, aliquando insipidi, cum variis functionum debilitarum signis, Podagram adventuram prænunciant; hæc autem Rheumatismum

* Cl. HOME, Princip. Medicin.

Rheumatismum rarò præeunt aut comitantur. Sexus amabilis antequàm cessent catamenia, et eunuchi, a podagra, maxima ex parte, immunes sunt: Porrò est morbus hæreditarius; Rheumatismus autem, vix unquam. Illa mares sæpiùs quàm fœminas; hic sexum muliebrem (secundum Cl. HOME) potiùs corripit. Rheumatismus artus majores, rarissimè minores, et superiores sæpiùs quàm inferiores; podagra, contrà, minores inferioresque occupat; uno ut pollice pedis ferè circumscribitur, nec eos ætate integrâ sed seniores plerumque vexat. Præ omnibus, ægri historia et ratio vivendi ante morbi insultum, ad certam diagnosin perducent.

Rheumatismus a *Siphylitide* faciliùs dignosci potest; in hâc enim dolores in mediâ ossium longorum et cranii parte sentiuntur; magìs fixi sunt quàm dolores in Rheumatismo, neque ulla pyrexia comitatur. In Rheumatismo dolores, ut suprà posuimus, musculorum ligamenta et aponeuroses tendineas circa articulos ferè

semper

semper afficiunt, et sæpè levissimo tactu asperantur, quod nunquam in Siphylitide observatum.

Raró fit ut *Lues Venerea* ossa priùs afficiat, quàm in aliis partibus vastationis suæ signa relinquat; de hoc autem certiores fiamus oportet, perscrutando fauces et omnes partes in quibus morbi vestigia superesse suspicari fas est. Ex hujusmodi investigationibus haud timendum est ne morbi facilè internosci possint, tùmque hi tùmque alii à definitione D^ris^ CULLEN satis patebunt; ad alia ergo signa decurrere haud pretium laboris esse credimus.

PROGNOSIS.

AB experientia pro certo discimus, Rheumatismi finem raró funestum evadere; tamen non desunt exempla ubi eventus lethalis fuit. Hoc cùm accidit, ferè semper comitantur alii morbi, ut Typhus, Phthisis, Apoplexia. Omnium

nium Phlegmasiarum nulla forsan quæ difficiliùs curatur diutiùsve perstat; rariùs autem ægri periculum adducit. Morbi cura sæpè est difficilis, et medicamentis vix absolvitur; hoc præsertim quando malum inveteraverat, anteà imperitè tractatum fuit, vel æger iteratos ejusdem impetus passus est. Tunc diri effectus, arthrodynia nimirùm, vel rheumatismus chronicus, articulorum rigiditas, paralysis immedicabilis, &c. supervenire solent.

Si sudor copiosus erumpat, æger benè dormiat, pyrexiæ signa leviora fiant, si pulsus fit mollis, nec adeò frequens, et remedia idonea ab initio morbi data fuerint, ægrum citò et tutò sanitatem recuperaturum prædicere fas est. Prognosis fausta ulteriùs firmabitur, si urina sedimentum deponat, cibi appetentia redeat, et lingua humida mundaque fiat. Diarrhœa, sanguinis ex aliquâ parte profluvium, vel erythema, signa sunt quæ haud raró morbum solvunt.

RATIO

RATIO MEDENDI.

Cùm ab omnibus concedatur, Rheumatismum acutum è statu corporis phlogistico pendere, consilium medendi primùm manifestum apparet; videlicet, corporis calorem auctum tollere, actionemque immodicam cordis et arteriarum lenire, et præcipuè sanguinis impetum in partibus dolentibus minuere.

Regimen antiphlogisticum, quo omnium irritantium, quæ machinæ humanæ ferè semper admoventur, imminutionem, aut evitationem significamus, per totum morbi cursum necessarium est; horum irritantium præcipua sunt calor, diæta stimulans, liquores generosi, animi corporisque exercitatio, &c. Vis caloris in ægri cubiculo ultra gradum sexagesimum secundum *Fahr.* assurgere nunquam debet. Diæta sit lenis et concoctu facilis: juscula, pinguedine amotâ, poma pista, aliique fructus acidi, &c.

donea

idonea sunt. Pro potu, bibat decoctum furfuris, panis, seminum hordei distichi, et alia hujusmodi, quæ alvum potiùs solvunt quàm astringunt.

Intestina modicè fusa per totum morbi decursum necesse est, ut nullum irritationis ab indurato vel putrescente stercore oriatur: hoc facilè præstabunt, enemata laxantia, sales neutrales (quales tartris potassæ, tartris potassæ et sodæ, phosphas sodæ, sulphas magnesiæ, &c.), manna, fructus tamarindi Indici, foliorum cassiæ sennæ infusio; vel hoc officio submurias hydrargyri in dosibus minoribus fungatur, nam ut in aliis phlegmasiis vim propriam ultra intestinorum stimulationem exercere videtur.

Liquores omnes generosiores, putà fermentati, quippe quæ omnia non solùm corpus calefaciunt et stimulant, sed etiam animum

præter

præter modum excitant, cautissimè evitanda sunt.

Quum primùm signa pyrexiæ inceperunt, vomitoria aptissimè adhibeantur, corporis systema concutiunt, sudorem cient, alvum dejiciunt, et catenationem forsan febrilem frangunt, atque omninò abigunt. Si pulsus adhuc validus, plenus et frequens perstet, sine doloris et anxietatis febrilis levamine, sanguinis detractio fieri debet. Quandocunque missio sanguinis necessaria videtur, observandum est eundem ex orificio magno fluentem multò plus ad inflammationem tollendam valere, quàm copiam longè majorem, tardè ex orificio parvo missam. Quod ad sanguinis copiam detrahendam attinet, nulla vix præcepta generalia tradi possunt: hæc res ægri viribus, ætate, sexu, corporis habitu, artuum dolore, arteriarum percussu et frequentiore, aut rariore hujus evacuationis usu, dirigatur oportet. Quamvis autem sanguinis detractio aliis remediis præstat, ean-

dem tamen ultra modum adhibitam, pessimos effectus, nimirùm debilitatem, arthrodyniam, hydropem, aliasque affectiones ex virium defectu pendentes edere, medicus in memoria semper tenere debet. Rubore, tumore, doloreque partium laborantium valdè prementibus, sanguis ex his locis missus plurimùm prodest: hoc consilio hirudines vel cucurbitulæ cruentæ, partibus admoveantur.

Medicamenta sudorem moventia ad diathesin phlogisticam minuendam benè respondent; et inter hæc pulvis ipecacuanhæ cum opio, submuriate hydrargyri conjunctus, ob magnam quam rheumaticis affert utilitatem, jure anteponitur. Si haud rarò inveniuntur, quibus sudor remediis jam dictis difficillimè movetur; his modò antè in tepidarium, quàm medicamenta dentur, sudor, alioquin parcus, sæpè facilè, liberèque fluit. Anteà sudat æger, vestimentis laniis indutus sit, quæ sudorem absorbent, lintea enim brevi madida fiunt, ac frigus insigne,

quod

quod sudorem reprimit, nunquam non gignunt.

Cùm vis diatheseos phlogisticæ aliquatenùs sublata est, sine ulla periculi specie, illud contra rheumatismum præstantissimum remedium *Cortex Peruvianus*, tutissimè adhiberi potest. Me minimè latet medicorum haud paucorum timor ad hujus remedii usum, dummodò pyrexia premat: de hac re tamen timorem omninò vanum esse credimus; pericula quoque, et per plurimos annos experientia, D^ris^ HAYGARTH, atque clarissimi HAMILTON praxis in Nosocomio Edinensi, hujus sententiæ veritatem abundè probârunt. Persuasum habeo, non solùm omni periculo vacare, sed pyrexiam quoque leviorem reddere, atque pessimis rheumatismi acuti effectibus, articulorum nimirùm debilitati, rigiditati et paralysi, quæ haud raró ex evacuationibus profluunt, felicitèr occurrere *.

Formulæ

* HAYGARTH. *Clin. Hist. of Acute Rheumatism.*

Formulæ omnium fortè remediorum simpliciores, ubique anteponendæ debent: pulvis ergo corticis, cum electuario cassiæ sennæ, et syrupo corticis aurantii, aliove simplice, in massam idoneam confectus, vel decocto ejusdem commistus, assumi commodè. Doses medicamentorum quas oportet exhibere, pro ratione sexûs, ætatis, pyrexiæ vel ventriculi statûs, dirigi debent: generatim, scrupulum vel semidrachma ter quaterve in die, sine ullo incommodo à ventriculo recipitur. Haustus anodynus antimonialis vesperè sumendus, ad tranquillitatem et soporem inducendum, quàm maximè conducit; sit cura tamen alvum quotidiè dejicere, ex usu enematum vel laxantium.

Morbo sublato acuto, magna in arthrodyniam proclivitas etiamnum existit: ad ejus impetum præcavendum, corporis exercitatio, frigidarium, partium debilium frictiones, optimè conveniunt.

Nullæ

Nullæ causæ magis timendæ quàm caloris et frigoris subitæ vicissitudines ; vestes igitur idoneæ, præsertim indusium laneum parentur, et articuli qui vim morbi passi sunt lanulâ involvantur.

Cùm primùm valetudo et partium conditio permiserint, æger æquo sub Jove sicco quotidiè vehatur, et frigidario manè per plures septimanas utatur.

FINIS.